

1538 strum, quod duobus, & quingentis passuum millibus Nauplio distat, castris positis, arctiori obsidione urbem premere est adortus.

Eodem tempore in Illyrico vario rerum successu pugnabatur. Nam Franciscus Barbarus, equitum praefectus, Carinum hostium oppidum aggressus, duobus captis propugnaculis, Turcas se recipere in arcem coegerat; ad quam cum situ, ac munitione praevalidam expugnandam, majoribus viribus opus esset, suburbiiis incensis, direpto agro, hostibus perterrefactis, ut per multos dies ab incursionibus abstinerent, Jaderam reversus est. Per eos dies Turcae ad viginti millia, ut ejus urbis oppugnationem tentarent, Clivum convenere; ex iis peditum duo, quatuor equitum millia Nadinum, oppidum in Reipublicae finibus situm, adorti, certis conditionibus recepere; centum, ac quinquaginta milites, qui custodiae praerant, Jaderam se contulere. Ea in urbe cum pecunia in militum stipendia non suppeteret, ac tormentarius pulvis deficeret, & propugnaculum, quod *Pontonum* vocatur, fundamentorum angustia corruisset, Senatus argentum ad militaria stipendia persolvenda, atque ad urbem muniendam transmisit. Scodrae quoque Sangiacus cum quindecim hostium millibus Antibarim aggressus, in litore urbi propinquo castra posuit; sed a Nicolao Bondimerio sinus praefecto, atque a Capellio classis imperatore Antibarensis praesidio illato, Turcae, obsidione relicta, Olchinium perrexere: centum Illyrici, quinquaginta Carni equites subsidio missi. Verum hostes x. kal. maji Uranam, oppidum agri Jaderensis, cum sex peditum, & duorum equitum millibus aggressi, vi cepere: quo eventu nostri Aenonam urbem, quod nullo munimento nixa hostibus pateret, deseruere. Inde ingens Jaderam, ac vicinas insulas terror occupavit, atque a Senatu, ut suppetias eorum afflictis rebus ferret, petiere. Pedites trecenti, ducenti equites subsidio missi: quindecim patritiae gentis, qui statim in Illyricum proficiscerentur, singulis triginta datis peditibus, creati; decem Jaderae custodiae, bini Sico, terni Ascrivio praessent; tridui ad protectionem spatium assignatum. Haud multo post copias adversus Sicenses hostes movere, cujus rei rumor cum in eam urbem pervenisset, omnes civitatis ordines in forum conve-

nere,

*Nadinum a
Turcis ca-
ptum.*

*Urania in
Turcarum
potestatem
pervenit.*

*Veneti pa-
tritis cum
militibus in
praesidium
Illyrici mis-
si.*

*Sicenses a
Turcis in-
vaduntur,
& eorum in
propugnando constan-
tia.*